Premisliensis Collegii Soc. Jesu Via principis aquilae etc.

# VIA
# PRINCIPIS AQVILÆ
*EXCELLENTISSIMI ac ILLVSTRISSIMI*

DOMINI DOMINI

# CAROLI
# RADZIWIŁ

S. R. I. PRINCIPIS.

DVCIS IN OLYKA & NIESWIZ.

COMITIS in MIHR. BIAŁA & SZYDŁOWIEC

Supremi M. D. Lituaniæ Stabuli Præfecti

PREMISLIENSIS CAPITANEI

Etc. Etc. Etc.

*INGENTIBVS AVSIS*

Naturæ, Virtutis, & Fortunæ Prodigijs

AD PRIMA & SVMMA CÆLITVS DESIGNATA

In primo atque secundissimo Prouinciæ aditu

Ab Interprete publici Auspicij

COLLEGIO PREMISLIENSI SOCIETATIS IESV

Panegyricè

# CELEBRATA

ANNO

VIÆ NATÆ.

M DC LXXXVIII.



LUBLINI. Typis Collegij, Soc: IESV.







N*Ova Elogij audacia*
*Laudare velle, quia Vires non ſuppetunt,*
*Quod nemo ſapientiſſimus attigit*
VIAM PRINCIPIS AQVILÆ
Metiri calamo rudi & implumi.
Sed eſt

PRINCEPS

Eſt, quod pænè ſuppar Laudibus Tuis adferamus,
Laudandi Cupiditatem & Audaciam.
Audemus viribus Maiora,
Laudare nitimur Omnibus Majorem Laudibus
Quia omnibus digniſſimum.
Non attamen nitimur in vetitum
Quanquam in Immenſum;
TANTUS ES,
Vt una laus illa TE digna ſit
Quòd nulla ſit Laus TE digna.
Panegyrim debemus tot TITULIS
Tot nominibus.
Damus quod debemus, dum laudando ſuccumbimus.
Pennatas AQVILARVM TVARVM *Laudes*
Pedibus etiam non ligatis perſequi, Temeritas eſt;
Venia, non conſequi.
Pace igitur Magnitudinis TUÆ & Fiduciâ

PRINCEPS

Partimur Decora, quæ efferre unà non valemus.

Magna illa Nomina
Debitores hoc ſolo titulo non exigui,
Partitim exſolvimus.
TUÆ amplitudinis, noſtræ tenuitatis documento:
Quicquid molimur aut deſignamus
Pollicemur aut præſtamus
Agimus aut ajmus
Ne non infra TE ſit
VIA eſt.
Quam ſi emunire, tenuitatis eſſe haud videtur,
Non longè ſequitur
Et veſtigia ſemper adorat

EXCELLENTISSIMI ac ILLUSTRISSIMI

PRINCIPIS

Honori occurrens
Obſervantiſſima
Devinctiſſima


SOCIETAS JESU
Collegij Premiſlienſis.



# EXCELLENTISSIMO

INter audire & fieri, velut dicere inter & facere, magnum Chaos. Facili nimirum descensu, *Dici* sequitur ad *esse*. Esse quod audis, sanctior est conversio; par prodigio fluminis, suum ad fontem retroacti. Dici *Excellentissimos* quàm dulce, tàm non insolens: Esse arduum: in paucis, RADIVILIANUM, in paucissimis TUUM. Evolas penna Principe, quò peræ grè assentatio eluctatur. Miramur EXCELLENTISSIMUM quia mereris: neq; Titulo duntaxat PRINCIPIS, audis EXCELLENTISSIMUS, sed merito. CAROLUM RADIVILIUM *Principem, Ducem, Comitem*, hoc est toties *Magnum*, excellens est dici: *Excellentius* nasci: *Excellentissimum* esse. Et *Augusta* non *angustæ mentis* gradatione, *Magnis Maiorem, Maioribus non Minorem, Maximis Parem* videri vel invidis. Quodsi quis TUAM, RADIVILIANÆ, hoc est, PRINCIPIS AQVILÆ, nescire *Celsitudinem* potuerit; legat si valet vestigia - - - -

- - - - VIÆ AQVILÆ in CÆLO.



# ILLVSTRISSIMO

REdde *Sarmatia* cachinnos cavillis, fulmen meriti si *Gigas* esset: *Pigmæo* certè acumine, non in *Gruem* iam audaculus *Aquilam*, illam *Palamedis Auem, Iovis*. Gigantomachiam redorditur, dum Poloniam Cælum nobilium vocat? an provocat? Momus, à veritatis etiam Regno peregrinus. Quanquam qui dente livido admordere veritatem invidus voluit, delibavit invitus. Neq; perdidit Gentis decora, sed prodidit: fato cavillatorum, laudando lædentium, lædendo laudantium. Lechia Cælum est, tot siderum quot nobilium. Hîc *Arietibus murus. Aræ Tauris, Flammæ Leonibus: hîc Adoreæ Virginibus, Meta Sagittariis, omnibus Zodiacus.* Hîc imperant *Aquilæ*, Regnant *Cygni*, & quotquot Penna Palmaq; nobilis Terrarum Dominos evehit ad Deos. At

& ſoles hoc Firmamentum parturit, dum Sereniſſimos, & luminaria magna dum *Illuſtriſſimos*. Fruſtra nubem offundis Livor. Non ideo Sol non eſt, quia lippientium oculis non videtur impunè. Quisquis non hebes, in uno CAROLO lucem habes, quàm explorantem Aquilas, tam ipſiſſimis Aquilis exploratam. RADIVILIA DOMUS, REGIA SOLIS, unde tantum lumen exoreris inter Illuſtriſſimos Ecellentiſſime inter Excellentiſſimos Illuſtriſſime, Splendida Titulorum, quid niſi mendacia, obſcuris quorundam Ortibus & Artibus obtendit ludens Numen: Solem TE adoramus Orientem, rarâ ſub Sole felicitate *Illuſtriſſimum* ab uſq; *Regij Sanguinis Aurora*, ad eum virtutis meridiem; ſive ætatis tempora, ſive Æternitatis penſamus merita, uſq; adeo diſſitum ab Occaſu. Tuum, videlicet *Principis Aquilæ* eſt, immenſa illa Virtutis & Gloriæ Olympia, pennis non paſſibus emetiri. Ignorat Viam AVIS TUA, præter quæ, DEUM etiam Gigantem capit, qui exultavit ad currendam Viam ſuam. Iuſtorum ſemita quaſi Lux ſplendens, hoc eſt *Illuſtriſſimorum* VIA *Illuſtriſſima*.



# DOMINO DOMINO.

INjuria cenſetur eſſe MAGNITUDINIS TUÆ, uno eam circumſcribere velle vocabulo; non poſſe, documentum. Semel dici non debes, ægrè potes, qui ſemper meruiſti. Non ludicra congeminatio eſt, ubi rárâ Virtutis & Fortunæ concordiâ, in Animi & Corporis decora conſpiratur. Adminiſtra utriuſq; natura, magnæ Principis Animæ, eam corporis admenſa Majeſtatem, & DOMINUM DOMINO circumdedit. Norînt cui ſerviant Leones; impatiens ut ignara iugi Aquila, ſi non ſervit nulli, certè nemini. Miniſtrat; ſed fulmina *Iovi Tertio* hoc eſt, *maximo*, in Gigantes. Amo civilitatem Philoſopham: meris *Maiorum Cerâ* conſpicuum, Illuſtrem Umbris: præter Proavorum Atria oſtentantem nihil *Atrienſem*, ne ſalutare quidem Dominum audet, niſi ut unum: utpote qui primum ne dicam imum hunc Gloriæ, non evaſit in gradum, ſed naſcendi ſorte impegit: Dominus inquit, ùt duo ſaltem audiat; qui Principatum Generis, Virtute geminavit; PRINCEPS & DUX, DOMINUS & CÆSAR EX Utroq;. Tanti & tantus es PRINCEPS CAROLE, ut Dominum TE unum non adæquet, geminum non excedat. Tàm Suavis Dominus, ut nominari debeas reguſtando: neq; faſtidium, ſed deſiderium parias repetitus.

CARO-

# CAROLO RADZIWIŁ.

SI compendijs ire per omnem Heroa amor est, Portum tetigêre carinæ laudum. Et summa dixi & Omnia, quia CAROLUM RADZIWIŁ dixi. Altero Magnum, altero Maioribus pæne Maiorem, qui Tanti NOMINIS & Generis magnitudinem, tanta Maiestatum in AUGUSTO MICHAELE. JOANNE III. propinquitate cumulavit. CAROLUS RADZIWIŁ, ingentia Nomina sunt; quibus dum Elogium debeo, de eorummet thesauris solvo, & satis ad laudem facio, dum nomino. CAROLUS RADZIWIŁ, Columnæ sunt, Herculeis numero duntaxat non maiores: Regni Bases, Ducatûs Apices, Honorum metæ, Elogiorum terminales. In uno, CAROLOS suspicio quotquot Magni: In uno, RADIVILIOS respicio, quotquot Maiores. CAROLUM video & AUGUSTISSIMUM puto. RADIVILIUM audio, & Magnos, Maiores, Maximos sperare audeo, spirare credo. Omnia Cæsar erat, audax elogij genus. Nempe à calamo, cui Quidlibet audendi, semper fuit æqua potestas: è vero Princeps, quæ divisa beatos efficiunt, collecta tenet. Seu CAROLVM seu RADIVILIVM æstimes, *Cæsar est ex utroque, Unicus Universa*. Hæc illa Pennatorum Principum Vis & VIA est: CAROLO Cælos, RADIVILIO Terras, utroque complexo Universum. AQVILA Magnarum Alarum, Altera Occidentem, Altera contingit Orientem.


# MICHAELIS RADZIWIŁ
## CATHARINÆ SOBIESCIADIS
# PRINCIPVM FILIO

SI Angelos vel mori necesse, vel nasci utile foret, non aliûs Filij, aut esse Parentes cuperent, aut non esse inviderent. Certè MI-




CHA-

CHAELIS *Filius es ô Princeps!* non ſolo, quo áudiit, ſed & quo non deſiit Nomine Principis *jmmortalis.* Quàm facilè Angelo pro_ gnatus Angelus. niſi qui in Te vivere præoptavit Angelico, hoc eſt Legationis Officio immori potuiſſet. Tunc ſibi *Roma* erexiſſe viſa eſt *Orbis Caput*, erigere *Capitolia* & triumphare; cùm *Caput* illud *Legationis Regiæ* accline ſibi reperit & ſuſpexit: Lætior ſi efferre non leto meruiſſet. Tunc ſenſit *Coronam Capitis* cecidiſſe, cùm ereptum accepit BONONIÆ OPTIMVM, an non & propè *Maximum*, cuius animum capere *Patria* non potuit, perægrè corpuſculum. Per Portas ille Triumphales perque ipſa pænê Capitolia, quà Màgni quà ſummi ſolent, fatali velut Appiâ, Alter, nulli ſecundus, exivit ad triumphum, nondum licèt vixiſſe creditur aut triumphâſſe, qui in *Te, altero Tanto* vivere creditur & vincere. Quo enim beatitatis ſenſu, è Cælo ſpectator, nihil non *Regium* videt in *Te*, nihil non *Auguſtum*. Vltra Imperii Principatum, infudit ſemet cum ſacris fontibus *Auguſta* MICHAELIS I. *Maieſtas*, CAROLO iam iam MAGNO: *Regia Maieſtas*, ultra Patria MICHAELIS, & IOANNIS confirmati NOMINA REGIO ſe ſe *Nepoti* affudit cum ſangvine. SOBIESCIAS nimirum eſt, cui lucem hanc debes Sereniſſimam, *Regum Soror. Ducum Coniux. Principum Mater. Heroum Genitrix*, millium in *TE* vno: Quomodo enim Semideis illis, non vt verior, ita credaris integrior? cuius Generi non parca Sororum manus ſed *Tanti Soror Tonantis*, innevit Purpuram; in IOANNE III. tot Gratiis intertextam: cuius immortalitati Genus, alto à ſangvine *Matris*, pro Cælo eſt *VIA Heroum* LACTEA ſpectatiſſimo. Efflorescere latiùs, ſi non lætiùs potuiſſe vetuſtas creditur, ſi Mineruam cælibem adeoque improlem maluiſſet. Aurea verè *Lechiæ* ſecula, Palladem Chriſtianam habent in CATHARINA, ſed quàm fæcundam? quæ *TE* ad invidiam vel Dearum, adeò ſecundo partu edidit *Os humeroſque Deæ ſimilem:* & Togati ingenii & Martialis Genii acie iuxtà promptum; Inter Philoſophos regnare inter Reges philoſophari digniſſimum. Principi ne quis neſciat Aligero parum eſſe, impreſſa terris, vno ſingularium, veſtigia præterire, quin prætervolet etiam naſcendo: invenire parantibus, quà ducant volentem VIAM Fatis, niſi in valentem incidiſſent ac volantem.



*SERE-*



S E R E N I S S I M I

# IOANNIS III.
# POLONIÆ REGIS
## EX SORORE PRINCIPE NEPOTI.

MItræ *Filio*, *Nepoti Coronæ* Paterna *Clauam* & *Caduceum*, Materna *Sceptrum* Linea designavit. Hoc demum est è *Regia Sorore* nasci, domestica inter Exempla *Reges* numerare: Fatis utique tàm sublimem ad ideam, quid? nisi Principem in Exempla plus quàm Principum formantibus. Minores Diadematis tantumque non capitis Avunculi, ad Hastam & sagulum excitant Ascanios, Fortunâ, Virtute, Coronâ, ter *Magnus* sub IOANNE TERTIO Hector, non ad Sceptra *Nepotes* excitet & purpuram? Hominem inter Flores, Florem inter Homines miratur Narcissum Antiquitas: Lymphatus ille sûi admirator in lympharum sese deperiit, periitque fonte. Feliciùs *Coronato Regij Sanguinis, Fonti, Corona* es PRINCEPS CAROLE. In illo *TE* vides & in *TE* invenis, quod ames augustiùs *Regum* Augustissimum, cuius vsqve adeò & armos exhibes & animos. Facies illa molesque augusta, quantò Cælo propior, tantò dignior non cælari: quidquid Charitum spirat & Maiestatum, efformâsse in *TE* gestiit natura, cumque sanguine & lacte transfudisse omnia in *Nepotem*. Et Lacænarum verè Principem colis Matrem, quæ *TIBI* ab vtero & Cunis, haud imbelli Spartano *REGALEM SOBIESCIA* CLYPEVM circumdedit. Quòd *Augustum Magni Animi Domicilium* Pectus Tuum, angustior Orbis non caperet. Itaque *Principem* RADIVILIORVM *Alitem*, facis *Regium*: Ingentes *Magni AVVNCVLI* passus, felici ille volatu ùt consequitur, non inferiora secutus, Cælum haud negata tentat ire VIA, quia tritissima AQVILIS & REGIA

C

GEOR-



# GEORGII PRINCIPIS.
## M. D. L. POCILLATORIS GERMANO.

GEminos duo Sidera Fratres, Castorem & Pollucem, Par Fratrum, sed immortale utrumque, nec alternùm lucida Sidera, sed æternùm Cæligenæ Amoris concordes Geminos. Iovis Optimi Cygnæam prolem, Polo ne invideas *POLONIA*, *in* *GEORGIO* *vides &* *CAROLO*. Sobiesciadum altera Cygnos, Aquilas Principes altera parit. Respirate Lechi; Ver erit æternum, Maius immortalis: Sol isque Serenissimus æternat in Geminis. Quæ illis Animorum consensio! vix credas duos esse: ita raræ prodigio necessitudinis, alter spirat in altero. *GEORGIVS*, alter *CAROLVS* putatur, non diuisus sed geminatus. Succenseret Sorti nascendi, natu maioris Amor, nisi secundum nasci, alibi inæqualitas, hic Auspicium foret. Præcucurrisse *GEORGIVM CAROLO*, ægrè persuaseris, quem ità circumfert in Animo, *Princeps Principem*, vt neque in lucem prodire videatur potuisse sine isto; simul geniti similior quàm Primogeniti. *Geminos duo sidera Fratres*, exclamarem iterum! nisi alter alteri pro sole esset. Orientem illius, suo cumulat ille Meridie, Meridiem illius, suo iste non sinit occidere Oriente. Tot hîc Numina quot Lumina: Alterius Hymen, ANHALTICIS, *Brandeburgicis*, *Saxonicis*, *Anglicis*, *Mitris*, *Coronis*, *Thoro* ad *Thronos* pertingente *Serenissimus*: Mars alterius, si sanguinem ignesque; si REGEM AVVNCVLVM nôsti, Potentissimus ac Inuictissimus.

# S. R. I. PRINCIPI


NOn cepit Pellæum Macedonia, non capit RADIVILIVM *Sarmatia*. In Regno *Dux*, in Imperio *Princeps*. Dicerem *ALEXANDRVM*, nisi & *CAROLO*, velut fatale esset, *Magnum* esse. Minorum Gentium Auibus ostentatio, RADIVILIANÆ *Aquilæ* Maie-

Maiestas, extendit pennas vltra Nidum. Qvantus es vel in Flore, qui Imperiales etiam inter Coronas emines, habesque Principatum. Nigra bicepsque Imperii Aquila, Noctem & tenebras Orienti, quò sapientiùs minaretur, Concolores *Ducalis Aquilæ* pennasque Caputque, Principe loco, inter Imperij adscivit Capita. Faciat Imperium Principes, quos non invenit, & si philosophandum, creet, hoc est, ex nihilo producat subiecti aut meriti: Principis Nomen, Imperio vel Maioribus; Merito rem debes & Virtuti. Quòd Principem legimus Fortunæ est, Virtutis, quòd videmus. Principem T E Imperio accedere, Imperii lucrum est. S. R. I. Princeps optabaris; ut Tuâ virtute sacrari, Tuo Principatu videretur etiam sibi Roma imperare.

# DVCI IN OŁYKA
## ET NIESWIZ


Timete Monstra? est Soror Tonantis quæ non lactet tantummodo Alcidem, sed pariat. Melior cum sanguine Regio, quàm cum lacte *Iunonio* effunditur Hercules, Heros clavæ. Quantus sit! è digito manuque Gigantem metiri licet. Non solum magnitudinis Argumentum, capi non potuisse, nisi vtero, maiestatis capaci. Consanguineam Serenitatem pro Lucina, *Clypei Septemplicis Orbem*, pro Leuana, purpuram pro Fasciis habuit. Clauam grauem monstris, Clauam extulit ab utero, *Dux Natus.* Alcidæ viri Arma, *CAROLI* fuêre infantis crepundia. Prævolâsset ætatem Paternis Aquilis, Matrisque SCVTO Triumphali, pro cunis usus, non Serpentes sed Hydras elisisset; si ùt per temporũ ita per spatia terrarum licuisset. Vicisset; si venire, videre, fas fuisset. Propè in eam, FULMEN BELLI CAROLE tempestatem nascendo incideras, quæ procellam in Nos Othomanicam ad vsque Solis Podolici naufragium effundere parabat. Formidatis tunc adhuc Orbi vniverso, Orientis viribus, triennali omnino belli meditatione, in nostram sese perniciem colligentibus. Tunc prodis in Solem, *Magnum Lumen!* Tonante cælo Gemma nasceris, serenitatem quæ iam iam deerat, è Matre profers; dubium pænè in lucem ires an in hostem? teneri ne quidem tam regio tecto poteras, quin maturè occurreres hosti,

muros animisiam habenti, vnoque in *Camenzco*, *Poloniam*, vna in *Polonia*, *Europam* obsidenti. Quis tum audaciæ sensus Barbaro? cùm fatalem Thracibus manum pænè adhuc Fasciæ inhiberent. Vagitu tamen ipso spirabas Martem, afflaturus *Sarmatiæ* Animos, quos Thraciæ ademisses. Aquilas conspicatus domesticas, optabas Martiales. Partem credebas solatii, non defore Domi, quod in cornua & Alas pro Patria explicares: cumque sudore & sanguine nondum daretur, lacrymis, infantiâ & suspiriis, fumantis Troiæ incendia temperabas. Fuerê iam tum Animi corpusculo maiores. Irasci Naturæ videbaris, quòd lenta, non Prætextam & Fascias, Sagulo vetaret commutare; & vel militem agere, *Ducem Natum*, annos Animis, antequam copias corpore præiturum. Distulit enim Barbaro stragem fortuna non abstulit. Timet Briareus Herculem, adhuc centimanus. Timet fatale *CAROLI* Nomen Othomanus. Præuolas animo, & hostem propè exanimas ante cladem: Vincis antequam vides; & velut Gentilitiam RADIVILIO de Turcis Lauream, voto præcerpis triumphali. Bellicum Ducis Nomen in imbellem Pacis titulum degenerâsse dudum credebatur: Infra Tibi gloriam ducitur, audire Ducem non agere. Ter magni Hectoris Secutorem esse contentus, non premis vestigia virtutum sed imprimis: ducis exemplorum agmen & de Te facis: litemque, nasci Ducem præstet? an fieri? dirimis *Natus Dux* & *Factus*.



# COMITI IN MIHR-

## SZYDŁOWIEC, BIAŁA,




Viâ arduâ & mortalibus propè inviâ evadis supra hominem *PRINCEPS*. Tritus & vulgi trames fuerit, Virtute duce, Fortuna comite, utraque passim alienâ, ad vsque Comitum Ducumque Titulos eluctari; *Dux Tibi* Natura *Duci Nato*, Comes Virtus, Fortuna pedissequa: digniorem non habitura, si a Tuis abiret vestigiis. Manu tenes Fortunam *PRINCEPS*, & non obluctantem ducis, quò lubet. At nec solius comitatis esto, quòd Comes sis; nec quòd *DVX* solius Naturæ. Claudunt latus, Alterum Fortitudo, Alterum Iustitia; alterno

terno gladio, si non ancipiti, hinc virtutis, illinc hostibus Patriæ Numina formidanda. Dicerem à corde pietatem, nisi tota cor ceu Regia Numinis occupasset, Habeo fidem & reverentiam, Tuæ Principis sapientiæ Oraculo: Tecum sunt Divitiæ & Gloria, Opes & Iustitia. Habes comitatum Princeps tot Regibus inuidendum. Certatur de Tuo latere: Neque periturorum de Te certamen est sed Deorum. Mars & Pallas, Maiestas & Charites; Bellona & Consus, quanto capiuntur decorum Exercitu? an capiuns: Comitem facturæ nisi esses. Præmaturò ante lucem vtique & Lucinam comitatu, occupârunt coæuædotes Comitem Regum, neque purpuræ minùs quàm Sanguinis; neque Generis modò sed & Speciei Regis Animo Individuum vt Corpore.


# SVPREMO M. D. L.
## STABVLI PRÆFECTO,

HErculis labos, an Herculei Laboris labes fuerit Augiæ stabulum? Quanquam Hercules in Boum stabulo, Sol videri poterat in Domo Tauri: Nihil agentibus Iunonis odiis, Euristei inclementiâ, quo laborum alicui Amphitrioniades succumberet, & vel sic non supra esse videretur, quem superstitem ægrè videbat invidia semper invita. Sanctior Tibi DEA ô PRINCEPS! melior Rex, an Optimus? VIRTUS, & IOANNES, Templum Honoris aperiunt stabulum tam augustum, vbi tot iam Decora Stabulantur. In eum conferre libuit Præfecturam, qui SUPREMAM facere poterat nisi invenisset: vt Principem namque ita supremum non fecit illa Te, sed inuenit. Quid iam nisi *REGIA SOLIS*? quæ tot ac tantos complectitur splendores in *TE VNO* & *Tanto*! Est in Tua Honoris Domo, quo vel Maiestatem attollas, vel *Inclyto Magni Ducatûs Equiti* expeditiorem reddas Felicitatis Hypodromum. Nec vnus nec mendax Equus ad Salutem. Præsentissimum ubivis Auspicium *TVÆ AQVILÆ* & Sanitas in Pennis Earum. Sunt equi vindices quibus Thraciæ Tyrannum, Alcides Diomedem obiicias. Quanto iam Tui desiderio, Honor & Fortuna teneatur, vel hinc collige; Magnis itineribus ad summa Fastigia deduci meritissimo,

mo, Stabulum submisit Alipedum. Sciuerit licèt non pedibus sed pennis Aquilas triumphare. Sit Fabula curru Solem & Equis vehi: Tuæ Dignitati debere amat Serenitas, quo triumphet.




# AD COMITIVM
## GRODNENSE PROVINCIALI LEGATO,



Terrestrem Nuntium lectitat vulgus ex antiquo, vt si quando Tui similis obtingeret; Cælestem ne credere cogerentur. At neque Nuntii aut Caduceum dedignaris aut Titulum, Atlantis facunde Nepos, advolas non pennis sed totis Aquilis, Herois Cyllenii talaribus, facturus inuidiam, Bono publico promptioris animi documentum, Verior Dearum Libertatis & Maiestatis Nuntius, quam Deorum Mercurius, Non tam pro Libertatis Maiestate quam pro Maiestatis Libertate disertior, Os humerosque Deo similis. Pendebat ab Ore nihil non aureum. graviter & splendide locuturi, Herculis, Gallico illo potioris catena: pendere ab ore parantibus Tulliis, nisi Res, nescio Fatorumne ? invidia rumperentur. Neque desset, quo dilab untur vel maximæ. Satis fuerat pretii & Gloriæ, triumphali Suada deuincire Animos & pertrahere potuisse, nisi incertum quis inslexibile Saxum Deus Terminus, Ioui noluisset concedere. Videre erat, inauditæ dicam, an etiam invisæ rei Administratores, qui venerant Oratores, auribus oculis metiri Regni fata, ore libero animoque amoliri necquidquam cupientes - Comitiorum venisse nuntios & abire tantumnon cladis. Fuêre, quibus magna libertas magna servitus videretur. Comitialem alii accusabant morbum, Discordiam. Superstitiosius alii quam verius Divinum quiddam aut simile Divino accidisse iactabant in humanis cuius nec initium invenire esset nec finem: Circulus fuit, absque Puncto, in Amorem publicum concordiæ. Peregrinus intra Patriam putabatur, qui rupta clamitaret quæ nec coäluerant. Fuêre quibus facinoris contagia terrori essent, non nescientibus utique exempla maximè vitiorum neutiquam illic consistere ubi cæperunt. Tanti nihilominus & temporis & conatuum apparatus, agere aliquid videbatur; Nempe Actum, novis scilicet in Polonia

Barri-

Batriis solicitis in speciem, re verâ magno conatu nihil agentibus. Quid hîc ? innoxia illa, & è vero Dea Libertas ? cui Pectus tuum pro sacrario, Cor pro Ara, Amor & Sangvis pro Sacrificio: Tantum non audita ingemiscere, iure mortalium ran-iniurio, quidquid in se immortalitatis esset pessum ire, an trahi ? in turbido illo rerum æstu si non & naufragio, præsentior vultus Tuus, pro malacia fuit; Candor illæsus & innubis pro sereno; pro Portu, Constans sibi semper animus, & æquitati. Vicerat, non evaserat tantummodò, si dicere quod sentiebas, licuisset, audire libuisset. Unius vox Reipublicæ fuisset universæ; in cuius pectore & sangvine, inviolabile illud Libertatis cum Maiestate consortium, non virtus duntaxat est sed natura.



# CAPITANEO
## PREMISLIENSI
### HOC Est
*PREMISLIENSIUM CAPITI SI NON & PRINCIPUM*
# PRINCIPI CAPITANEO
*ITA*
# CAROLE PRINCEPS

Sublimi feris sidera vertice: aut sanctius, fulcis Sancta, & erigis; ferire amas Othomanica, contra Militiam illam scelestam, non Cælestem, Ductricis Lunæ in præceps sequacem, Dux & Caput Raro haudè vano magnorum, Privilegio, ante victoriam in Hostico, triumphum canis in Patria. infra TE videri amant, etiam qui visi præivisse: Honorariæ velut de more Aulæ, Fasces prætulerint Ante cedanei, ne decrescere Honos crederetut, si non in *CAROLUM PRINCIPEM*, ceu in fastigium desineret Quod vnum, in *CAPITANEATU* facilè *PRINCIPE* desiderari poterat, Addis, Maiestatem consangvineam cum Principe




& cumu-

& cumulas. Gemeret Danilouiã exuisse aliquando Purpuram, & lacrymis decoloraret, pænè pullatus hodieque nisi alter *REGIUS SANGUIS*, non alius Dibapham reddidisses. Cedunt *WISNIOWIECIA SIDERA*, Soli tibi & Siderũ Principi, Gaudet Nobilis *HERBURTORUM* Pomona, Aureos Hesperidum fructus Arcesque Maiori Alcidæ patuisse. Meliori, Domi adeò Principis, auspicio, secundiora hodie videri malunt *STADNICIORUM* FLUMINA, hactenus Priora. *KRASICIORUM CORNUA* ægre silentes vmbræ, auditis longe ac late vocalibus *RADIVILII* Cornibus, prope vitam & vocem debent. Vivit Quid enim illustres persequar umbras, quæ Orientem Te Solem præcessere. Vivit Trabeatus *MAGNI KACCII* Gradivus; Tibique, quid nisi Martem spiranti & victorias, Triumphales accendit ignes cui facem prætulit & Lampada; minime inglorium cessisse ratus. Duci Leoni, Hæc meta sagittis, sed nondum votis publicis, infra *TE* vel magnus Honor, merens Maiora par maximis! Capitaneatus *TE* non capiunt sed capiuntur. videre enim *CAROLUM PRINCIPEM*, capi est. Ambit TE Honos, quo ad fas immensum non ambitur à *TE*, facile Princeps abhinc futurus, *TE PRINCIPE*, veriùs *TIBI* debiturus Apicem, quam daturus. Dignitate eminent alii Tu emines Dignitati, Honorque es Honori. Arcem Capitanealem, Capitolinam, facis, in qua magni de magnis; de Pompeio Carolus, de Iove Capitolii, triumphet iustitia Capitanei; virtus Principis, & Princeps virtutis.



## & Cætera & Cætera




PAtere Laudum compendia *PRINCEPS*, qui omnium es compendium *Ipse metus TE noster amat*, ipsum silentium *TE* nostrum laudat. Divinum elogii genus, tacendo prædicari: deesse non debet, cui meriti adest omne genus. Nam & istud haud longe infra superos est, Quod infantium linguas disertas facis, Infantes Disertorum. Prodigium Naturæ & Gratiæ Animum Tuum, quis non & excellentiùs & illustriùs legat, è vultu hoc Excellentissimo ac Illustrissimo? Ephestiones non sumus: Tua Princeps Dignitas, *CAROLI* est, Alexandro Nihilo minoris, quæ Tulliorum etiam labiis imprimat Harpocratem, Adora-

Adoratoribus facilior, quàm Oratoribus. Quis paucorum dierum Artem credat, efferre supra sidera? Quem parturiens tot propè soles natura tulit, quot solem signa: Elephantum parturire visa, certè magnum & exspectationi tantæ non imparem. Dulce pondus à corde melioris Olympiæ, diuelli nequibas facilè. Non erat, quod properares in lucem, illo iam in sanguine habens serenissimam. Pendebamus tunc a Tuo Ortu, qui nunc pendemus ab ore. Prospectabamus Desideratissimum, quem expectatissimum suscipimus. Soles tibi cum non posset nullos, optâsse credita quàm serenissimos *Luna Othomanica;* Invidere ortum *Oriens*, benè ante meridiem tuum occasurus, Quanquam non Vitam *Tibi* sed mortem hostibus, Cælites diferebant. Credo celerior prodiisses, si propior Barbarus occurrisset. Electio Regum, & Belli Turcici meditatio pro Horoscopo fuerant PRINCIPI MARTIALI: Illa *Te* cum Maiestate ferebas ab vteri Maiestate, atque si foret Individua. Certè fuit non collactanea minus, quàm in *AVGVSTO Rege* per *BARBARAM RADIVILIAM*, in MICHAELE I. per AVUM TUUM WISNIOWIECIO genitum congenita. Atticæ Noctuas Minervæ, Athenæ Lublinenses, RADIVILIORVM AQVILAS inter auspicia coluêre. Servos non segnius futuros, quàm *Ceruos* inibi Gentilitios, Corona pro pileo donâsse ferebaris, Obsequii *Tibi* sacrati gloriâ abunde coronatos. Erat nimirum, quo non degener aquilarum indoles Luce Magistrâ proficeret, Solis experimento Serenissimi. Aula igitur & Exempla Regia, Ludus TIBI reliquus fuerant literarum. Principes inter Regis Natos, Princeps Nepotum Regis, educatus, ipsissimo sapientiæ fonti, Divino Iovis Sarmatici Cerebro, Palladem debes & Genium. Europæ lustrandæ ac illustrandæ iuxta parem, *Hispaniarum, Galliarum, Italiæ, Daniæ, Regnorum & Regum,* Hospes acceptissimus, illic corda Divumque Hominumque rapuisti, vnde, prodigio rarius est, venisse non excordem. Non minorem illinc hominem rediisse, Tuæ virtutis miraculum esto. Hæret defixus admiratione calamus. Ignosce PRINCEPS Tenuitati Tuas TVAS in laudes iniuriæ Gigantæa immo RADIVILIANA AQVILARUM OLYMPIA, non passibus æquis, nequidquam emetimur. Lassamur, succumbimus immensitati laudandorum *Et cætera,* hoc est propè omnia, non præterimus Hercule sed attingere non valemus. Vide quæ de CAROLO PRINCIPE; Titulo: Naturæ Prodigium, Virtutis compendium, Fortunæ fastigium, Europæ desiderium, Patriæ Delicium, Honorum meta inevitabilis, *&c. &c.* Loqvuntur Historiæ præteritorum, Theatra Præsentium, Auguria futurorum infinita.


# REGIAM HONORIS CAPITANEALIS ADEVNTI.

QVorſum venias miramur Tuæ amplitudinis conſcii: non quod omnia vel è ruderibus, TVO aſſurgere cogantur HONORI: ſed quod Eum TE Arx Capitanealis accipiat, quem Capitolia tota non caperent. Vnde venias: dubitat nemo: Homine majorem, Deo quàm ſimillimum. Datum è Cælo Genus Alto à ſanguine Diuum, acclamantibus cunctis, vultui huic, nihil non cum Maieſtate ſerenum radianti. Quis ille oculorum frõtiſque Tuæ magnes! Non ferrea me hercule Terrarum, quin & Cælorum Lumina, & prope Numina, trahis: an ut non invitos, ita tuis gratiis non invictos ducis PRINCEPS Principes in Triumpho. Dux videris ſiderum, vel ipſo ſole illuſtrior. Non illum hodiernæ pænitet in cancro ſtationis, quo ſæpius ad Tui reme et ſpectaculum: Bene poſthabet *Leonem Nemeæum*, cum habet RADIVILIVM, Luce dignum, & ſole etiam Sereniſſimo. Pro Vrbis poſtibus Tuo Magni Principis aditu, vernantibus, non pictam videre nobis videmur, ſed Maiorem de Cælo vrſam. Certè Reducem inde vſque Aſtræam, iiſdem Tecum Arcibus accipimus & Arcubus; Triumphabundis ſimiles Librâ, Tuis in manibus cum SOLE IVSTITIÆ Oriente. Gladium enimuerò Themidis mavis: nimirum quem Iuſtiſſimâ Nemeſi ab acclini Tuorum Cervice, in recrudeſcentis Lernæ avertas excidium. Itaque non Lari addictior quàm Gradivo, Portas Triumphales, quæ TE magnis maiorem non capiunt, ceu Iani quondam Bellacis Poſtes, claudi vetas. Honorarias ſimul capeſſiis ſecures, ſimul in hoſtem vertis. Mereri mauis Triumphos, quam morari: Auguſtiori Capitolio, digniùs Subiugatis hoſtium ceruicibus, quàm ſuccollantium brachiis Ciuium inferendus. Trito AQVILIS per ſublimia Calle, iiſdem ab Arcibus, quas Cælo admoves PRINCEPS, & propè Cælum fieri iubes, fulminare ardeſcis in Gigantes: Iovi & Tonanti propior, quàm Iovis & Tonitrui Miniſtro: Numinis Maximi, Magnũ Numen, hoc eſt, quòd plauſus hi Noſtri, Conceptis Animo Principe Triumphis

umphis longe dispares, non moderationem duntaxat, sed & Fortitudinem Tuam ægre habent. Amares Arcus Laurigeros, fractis Scythicis. Placerent Triumphales Portæ, dirutâ Othomanicâ. Esset, quo Deorum Maximis, non cederes, Aquilis triumphando, post cladem Gigantum. Acceptissimum Panegyrici foret genus, Si Bistonio Sanguine scriberetur: Arrideret Epinicium PRINCIPI, post Tyranni Epicædium. Ter iô Pean! canerent vltrò TVBÆ RADIVILIÆ, Exanimis Thraciæ funeribus animatæ, vsque adeo Regius bullit sub pectore Sangvis! Triumphatorum MAXIMI NEPOTEM, Nihilo degenerem, piget non viâ Regiâ per strages incedere Barbarorum. Ergo non Palladis iam, sed Bellonæ Protypum damus: si non ipsimet sumus. I per ora Laudantium antequam per Hostium. Subi Arcus pectorum, TVI sese studio flectentium: sub iuga iam SERES iam Barbarus ibit ARAXES. Ardentia TVI desiderio vota, iamque in gaudiorum flammas erumpentia Triumphalium de Treiciis Bustis Ignium, sunt præludia. I BONIS AVIBVS; quia TVIS AQVILIS. I Cælo Auspice, quod TVIS habes sub ALIS, pro POLONIA & POLO bellaturus. I per proculcatas Othomani Lunas: Quaque sit Aquilis in Cælo via, doce Triumphando. Non præcludimus plaudendo viam, sed viam præsternimus Triumphorum.



# PALLADIÆ COLLEGII NOBILITATIS APPLAVSVS.



MArs in Te fortitudinem & pænè Martem alterum, Themis sapientiam, vtrumque miratur Pallas; in Erudito armata, in armato Erudita, Princeps vtrobique in Principe. Caput galeæ, Pectus Ægidi, manum hastæ; & se integram, hoc est, Toga & Sago, Oleâ, & Lauru, Pace, & Bello, DEam Tibi debet. Natam è Iovis Cerebro Minervam credere cogit Fabula, è Tuo veritas: & tum demum pluere aurum creditur, cùm nascitur è Tuo. Moliri Domos Sapientiæ, Cælo co-

SROIS invidendas, dotare collegia, fundare Academias, & scientiarum universitatem esse, RADIVILIANVM est ex antiquo. Caput tuum Arcem suam credidit sapientia, totamque insedit tota: Et quod scis, nemo scire, & si quid nescis, videtur scire nemo. Quicquid Aquilis capitum, Leonibus Virium, Tago pretii, Liliis Vigoris, Tyberi Maiestatis, debere se credit Literatura Politior, in TE videt. Rident lacrymæ HERACLITI, cumulantur risus DEMOCRITI, Homine gaudent CYNICI, ponunt supercilium STOICI, triumphant PERIPATETICI, TE PRINCIPE. Totque illæ quas non despicis Philosophantium umbræ, umbræ TVI sunt: Philosophi sub Principum Sapientissimo, Trabeati.] Magnus Macedo suspexit Stagyritam, & penè maiorem fieri voluit, quia MAGNI MAGISTRVM. TIBI CAROLO supra Alexandros MAGNO Vniversa militat PHILOSOPHIA PODOLIANA FVNDATORIS TENIA Labarum daret, nisi propius Auspicio videretur, TVIS AQVILIS Nomen dare. Centuriantur itaque BONIS AVIBVS Viceni Numero, Animis Phalanx, illis olim Persiæ Immortalibus non cessuri: potentioribus obsequiorum argumentis de Tuo Nutu certaturi. Quicquid uspiam Scientiæ, philosophante latet sub pallio, TIBI Sacrum esto PRINCIPI, quàm scire tam sciri DIGNISSIMO. Hodie demum IANVA SCIENTIARVM lætior audit DIALECTICE dum tuis Triumphis arcuatur. Veri indagatrix LOGICE, veritatem Principis in TE, & Principem reperisse gaudet veritatis. Magistra morum, ETHICE & POLITICE quod unum desiderare in plurimis videbatur, Boni & Viri & Principis Ideam, habet. In TE Computat Dotes innumeras ARTHMETICA, Herois numeris omnibus absoluti. Stupet GEOMETRIA Magnitudinem Atlanteam, Cælo parem contemplatur ASTRONOMIA, vivam firmamenti faciem, totidem luculentis sideribus, quot animi corporisque distinctam splendoribus. PHYSICA Naturæ bonitatem, METAPHYSICA Naturæ prædicat Miraculum, Aquilasque RADIVILIAS Aligeris, Diis immiscet CAROLVM, quicquid mortale est, immortalitatis merito transcendentem. At & TVLLIANIS Rhetorum ROSTRIS patet Laudum Tuarum Oceanus. Timet copiosè loquens Sapientia, ne quid Tuorum decorum, impar deterat Laudatio. Quàm enim proclive imò præceps est, in Magnorum Laudibus CVRTIOS videri, TACITOS in Laudibus Augustorum ROMANI

NI IMPERII PRINCEPS, Romanæ facilè PRINCEPS es Eloquentiæ, ad cuius facundiam Purpuratam erubeſcant ſemet vel TVLLII; Vileſcant Catenæ, vel Herculeæ. Ducitur nimirum laudum Tuarum Studio RHETORICA; at ducitur in Triumpho, victa toties, quoties Tvi admiratione elingvem fieri còégisti. Ovare ſibi poſſe Poesis viſa; & ſi non pennis Pegaſi, certe pedibus, minoris Triumphi ritu, velut in Capitolium, iu Tuas, ire Panegyres. Magnis tamen excidit auſis. Celſiùs Tuæ Te attollunt Aquilæ, quàm ut toto Bellerophontis Alipede, attingi queas. Ergo animi Vatibus concidêre: Adorant. quot Verba Oris Tui, tot Oracula: ſentiunt in CAROLO Apollinem, Delphico certiorem; plus humanitatis, an Divinitatis ſpiret? incerti. Et quis demum Tuis in præconiis, vel Diſertorum non infans; vel Infantium non Diſertus? provocant Aquilæ Tuæ etiam Pullos ad volandum; Animant RADIVILIA Classica, CLASSES etiam Vagientûm. Quod ore nequeunt, loqvuntur animis, in ora erumpentibus, Bvllati Oratores. Non Primæ, non Mediæ non Claſſicum Infimæ ceſſare libet. Cunctis, quà data Porta, de Honoris Laudumque Tuarum Portu, certantibus. Nobile loquendi ſcribendive Rudimentum putatur. Laudes Tuæ: Aquilinum Generoſæ Indolis periculum, ad Eam Nominis Tvi Serenitatem, Lucis Patientiam experiri. Fatalis vel incipientium vox illa; Nomen Tuum Indeclinabile Barbaris, clamitantium, Ineffabile Oratoribus; quicquid conentur, quicqnid moliantur, Infantibus. Stabit tantæ molis perenne monumentum, Tiraviana Athenæi Premisliensis ROTA, impletura Orbem Tuis Laudibus, niſi tanto illarum ponderi, vel ſuccumbere & cicatricem Triumphi memorem geminare non eſſet inglorium. Triumphalis vtique Curriculi haud egente Quem hinc PRINCIPES AQVILÆ, hinc è voto publico,

Sublimem meritis Gygnus ad aſtra feret

Ad M. D. G. I. V. C. Honorem.

